



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio II. De existentia Materiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

OBJICITUR quartò. De hoc ipso quæritur, quare pars A sit potentia & subjectum primum, & quare pars B sit actus.

RESPONDETUR. Est quidem verum, quòd dictus conceptus, non adferat prædicatum ali- quòd distinctum realiter, imò nec adferre debet, nam definitio à definito non distinguuntur realiter. Est item verum, quòd non adferat prædicatum simpliciter extinctivum interrogationum, nam etiam posito, quòd dicat aliquis hominem esse animal rationale, querere restabit: quare sit animal rationale, sufficit tamen, quòd adferat prædicatum, quo in ordine ad nostros conceptus non datur prius, & quòd tantum sola inductione, explicationeque terminorum illustrari possit. Quanquam accedi etiam ex tempore poterit ad argumentum, quòd probat dari materiam primam: ita ut illud sit subjectum, quòd remanet post resolutionem, tantquam aliquid commune, cum ergo pars, A, & non alia maneat, illa pars A erit materia.

OBJICITUR quintò. Subjectum primum est terminus æquivocus, nam potest esse aliquid subjectum primum prædicationis vel promotionis politicæ, &c. ut cum proximè promovendus, & excellens in politicis, appellatur subjectum primum.

RESPONDETUR. Ex circumstantiis, in quibus loquimur, explicatur satis, rem esse, de subjecto Physicè spectato.

QUÆSTIO II.

De existentia Materie.

IMprimis disquirendum erit: An existat Materia; Deinde propria ne an aliena existentia & tum primum alia huc spectantia discutientur.

DIFFICULTAS I.

An detur Materia prima?

DICENDUM est: *Dari materiam primam*; Est conclusio Aristotelica. Quòd detur Materia.

PROBATUR medio termino communi, qui sic proponitur: Vel dantur mutationes substantiales, vel non dantur, neutrum dici potest. Ergo neque potest dici, quòd non detur materia prima. Minor probatur, non potest dici, quòd non dantur mutationes substantiales, aliàs lignum non esset combustibile, siquidem ex ligno non posset substantialiter fieri ignis. Rursus ignis nunquam esset extinguibilis, neque posset sub-

sidere in cineres, siquidem post formam ignis, non posset introduci forma cineris. Si autem dantur transmutationes substantiales. Ergo quòd fuit sub una forma substantiali, manet etiam sub alia forma substantiali, si enim non idem maneret, sub alia forma substantiali. Ergo in mutatione substantiali esset annihilatio, quòd probatur, tunc esset annihilatio, quando nihil manet ejus, quòd præfuerat, sed in substantiis transmutationibus nihil maneret ejus, quòd præfuerat. Ergo in transmutatione substantiali esset annihilatio. Minor, immediata probatur; in transmutatione substantiali v.g. ligni in ignem, non maneret v.g. forma ligni, ut per experientiam patet, & probabitur infra, ubi ostendetur, duas formas substantiales non posse esse, in eodem subjecto, non maneret etiam in transmutatione substantiali materia, quia per te non datur. Ergo nihil maneret, consequenter in transmutatione substantiali esset annihilatio, quòd non potest dici. Tum quia annihilatio sicut & creatio excedit vires naturales. Tum quia accidentia multa, remanent abeunte jam forma substantiali, in quo autem subjectarentur, si esset annihilatio totius substantialis præcedentis, & si non daretur materia prima. Tum quia si in mutatione substantiali intercedit annihilatio, vanus esset cultus reliquiarum siquidem nec forma illic esset sancti, nec materia.

CONFIRMATUR. Si non daretur materia, connaturale esset agenti naturali; v.g. igni, creare, sed nulli est connaturale creare. Sequela probatur, connaturale est uni igni alium ignem producere. Ergo & connaturale esset creare. Tunc enim esset connaturale creare, quando connaturale est producere ex nihilo subjecti, seu ex nullo subjecto præexistente, conferre totum esse de novo, sed ignis produciens alium ignem, conferret totum esse de novo, quòd probatur, conferret formam de novo, & nullum subjectum ejus è quo educeret formam, supponeret. Ergo ex nihilo subjecti produceret, adeoque crearet.

Quòd autem detur materia, eaque prima, sic probat Suarez. Quando ex ligno fit ignis, manetque idem subjectum, quòd olim erat sub forma ligni, ut sic jam sub forma ignis, vel illud subjectum præsupponit aliud subjectum, vel non præsupponit, si non præsupponit, habetur intentum; si præsupponit de illo ulterius, querendum restabit deveniendumque erit, ad aliquid, primum, cum non detur processus in infinitum in istis subjectis subordinatis.

OBJICITUR primò Auctoritas Aristotelis:

PRIMA Auctoritas est. Ex primo Phys. textu 77. ubi ait Aristoteles, ea quæ fiunt, non fiunt per se, ex aliquo ente, sed solum per
† f 2 acci-

accidentis, ex quo colligi potest, materiam, vel non esse ens, vel ex ea non fieri quidquam, per se.

RESPONDETUR. Sensus Aristotelis esse, quod ea, quæ fiunt per se, non fiant ex aliquo ente, quod se habeat per modum formæ præ-existentis latentisque inibi, sed non dicit, quod non detur potentia, adeoque materia, ad illam formam.

SECUNDUS locus ex 5. Phys. tex. 8. ubi ait: Id quod generatur, non est, subiectum autem generationis est materia, inferius autem subdit, igitur materia non est.

RESPONDETUR. Sensus Aristotelis est, quod id quod generatur non sit actu, sed tantum sit in potentia, eo quod sit subiectum, quod illius generandi, futurum est, pars constitutiva, quando autem addit igitur materia, non est, intelligendus est, quod materia respectu generandi non sit subiectum denominationis, tale enim subiectum est totum compositum, sed tantum est subiectum inhesionis, sustentationis vel informationis.

TERTIUS locus est ex lib. de generatione c. 23. Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili manente. Ergo nec erit, quæ remanet materia.

RESPONDETUR. Sensus Aristotelis esse, quod generatio sit mutatio totius denominationis, in aliud totum denominationis, quando autem Aristoteles dicit, quod nec quidquam sit eorum quibus ens determinatur, per Ly: nequicquam, intelligit quod materia non sit aliquid, substantiale completum, & quod non sit forma, cui competit actuare, & denominare, licet etiam materia sit Ens.

OBJICITUR secundò. Ad mutationes accidentales, non est necessarium commune subiectum. Ergo neque ad substantiales, Antecedens probatur. Si extra materiam, poneretur frigus, ageret in illud calor, & tamen tunc non esset jam ullum commune subiectum, siquidem extra omnem materiam, supponitur existere frigus. Accidentia etiam Eucharistica alterari possunt sine ullo subiecto, quod sit materia.

RESPONDETUR. Sicut non possunt existere naturaliter, accidentia sine subiecto, ita nec naturaliter contingit, ut ad mutationes accidentales, non sit necessarium subiectum; Quare autem nec divinitus, nec naturaliter potest esse transmutatio substantialis sine communi subiecto, probant rationes adlatæ. Directè ergo in forma negatur consequentia, disparitas est, quia non repugnat accidentia divinitus existere sine materia, & adhuc retinere contrarietatem cum aliis, adeoque fundare pugnam & introductionem novarum qualitatum, licet supponendo miraculum prædictum. Jam autem etiam divinitus, repugna esset mu-

tationem substantialem, & nihil substantialis in præcedenti composito manere, non enim hoc esset mutatio, sed prioris annihilatio, novi autem creatio. Loquor autem de mutatione substantiali quæ sit viâ generationis, non autem de mutatione conversiva, substantiali, seu transsubstantiva, quæ viribus naturæ fieri non potest, & cum non fiat viribus naturæ, commune subiectum non deperdet.

OBJICITUR tertio. Non datur forma communis. Ergo nec una materia communis.

RESPONDEBIS I. Disparitatem esse, quia scilicet ad formam spectat diversificare & determinare intrinsecè, consequenter nec potest esse ulla forma communis, ad materiam autem non spectat diversificare. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia dici posset ad formas particulares spectare ut diversificent, sed forma communis non est necesse, ut diversificet. Tum quia suo modo etiam materia v.g. ab Angelo diversificat hominem & si materia coelestis, est diversa specie, revera & illa diversificabit, quid si materiæ convenit diversificare saltem possibiliter, tum quia quomodo dabitur una materia communis, cum non detur forma communis, ex eo, quia ut tu ais, competit ei diversificare.

RESPOND. 2. Disparitatem esse quia nulla est necessitas formæ communis, nullumque absurdum, si non detur, si autem non detur materia tanquam subiectum commune mutationum, substantialium, sequitur absurdum, res scilicet naturaliter creari & annihilari.

RESPONDETUR 3. Quia data forma communi advenientes aliæ formæ non componerent unum per se, invenirent enim jam formam actuantem. Posito autem quod detur Materia adhuc poterit componi unum per se.

QUÆRES. Quid sentiendum sit, de sententia Gomesii Pereira, qui docuit, ut videre est, apud Arriaga disp. II. Physicor. Sect. I. Non dari ullam materiam primam, sed loco illius esse elementa, quæ sint æquè simplicia ac materia prima vel forma substantialis. Est sententia rejicienda. Tum quia illa corpora, æquè simplicia, ac materia, vel manent, in omni mutatione substantiali, ita ut in illa alia resolvantur, vel non manent, si non manent, redeunt argumenta facta, si manent in re omnino idem dicis, sed immerito hoc subiectum, appellas elementa. Tum quia ut urget Arriaga, vel illa elementa sunt penetrata, vel non; si sunt penetrata. Ergo immerito adstruis ad productionem ignis corrumpi lignum cum potuerint hæc se penetrare, si non sunt penetrata. Ergo una pars v.g. papyri, est aqua, alia ignis, quod est contra sensum, quomodo item quarta pars ignis inclusa in pulvere pyrio, non accendit eundem, cur item animantia omnia sursum non eunt, cum com-

ponant.

ponantur duobus sursum tendentibus aëre igne, &c.

DIFFICULTAS II.

Materia: sua ne? an aliena existentia existit?

THOMISTÆ, existentiam propriam Materiæ, sed dicunt illam existere existentia formæ, dant illi existentiam propriam Scotistæ, Nominales, Nostri. Potest hic quæstio esse de voce si concesseris materiam habere actum entitativum proprium, hoc est perfectionem suam entitativam, eamque extra causas positam, negaveris autem materiam habere existentiam propriam. Erit quæstio de re, si negaveris materiam habere actum, proprium suum esse, extra causas: nomine autem existentia venit esse actuale rei, extra causas, Arriaga & Oviedo instituunt etiam quæstionem; an posita distinctione reali inter essentiam & existentiam, necesse nihilominus sit, materiam habere existentiam non formæ sed propriam, quamvis à se distinctam realiter, ad hanc etiam difficultatem in sequentibus respicietur. *Nunc sit*

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum.

DICENDUM est. *Materiam habere propriam existentiam.*

PROBAT primò Suarez ex communi principio, quòd scilicet essentia non sit distincta realiter ab existentia, unde sic formatur argumentum. Habet materia propriam suam essentiam. Ergo & existentiam, hæc enim à parte rei indistinguuntur realiter. Qui ipse medius terminus, sic aliter proponitur. Materia pro ut condistinguitur à forma, & est nunc jam in rerum natura, vel habet esse suum proprium, extra causas; vel non habet, si non habet. Ergo contra suppositionem loqueris, si enim supponis, nunc in rerum natura, illam esse, quomodo esse extra causas, non habet. Loqueris etiam, contra demonstrationes Aristotelis, probantes materiam esse nunc defacto subiectum transmutationum; loqueris etiam, contra rationem, quia aliàs nullum esset compositum ex materia, & forma, si nunc in rerum natura, non est materia; si autem materia habet propriam existentiam, cum nomine existentia nihil veniat nisi esse proprium extra causas. *Hoc ar-*

gumentum convincit, non nisi supposita in distinctione reali, inter essentiam & existentiam.

PROBAT secundò Hurtado ex principio recepto à Thomistis, quod productio terminetur ad existentiam, quo posito sic argumentatur. Eadem actione indivisibili, qua produci- tur essentia, debet produci, & existentia, sed essentia materia & essentia formæ producuntur, per diversas actiones. Ergo etiam & existentia materiæ, itemque existentia formæ, producuntur per diversas actiones: Prima propositio est certa apud Thomistas & probatur auctoritate S. Thomæ, qui quæst. 1. de Potentia art. 2. th. ait: *Omnis actio activæ potentie, terminatur ad esse*, imò Johannes Theologus in Concil. Florentino, Sess. 18. contra Græcos asserentes, Spiritum Sanctum esse à Filio, sed ab illo, non accipere esse, inquit, *fieri non potest, nec mente concipi, ut una res ab alia sit, nisi ab illa accipiat esse*. Probat idem ratio, quia actio terminata ad producendum essentiam, tendit ad eam producendam extra suas causas. Ergo tendit ad existentiam, cum existere nihil sit, nisi esse extra causas. Minor autem probatur, quia essentia materiæ creatur, essentia formæ materialis educitur è potentia materiæ.

Hæc ratio Hurtadi sic aliter proponitur. Supponamus hoc, quod formæ quæ nunc producuntur sint ab æterno, materiam autem produci in tempore; vel ad minimum supponamus, nunc produci de novo formam, & post productionem illius, produci materiam ejusdem speciei cum nostrate, hoc supposito, sic formatur argumentum. Si materia non habet propriam existentiam, non posset ostendi actio productiva essentia materiæ, ad quid terminari posset, sed debet ostendi, aliàs si non posset ostendi, ad quid actio productiva materiæ terminari posset, non erit possibilis actio productiva materiæ, siquidem impossibilis est actio productiva, cui passio non correspondeat, adeoque, quæ ad aliquid, ad quod terminetur non habeat: Sequela principalis probatur. Si materia non haberet propriam existentiam, actio productiva materiæ, non terminaretur ad essentiam formæ, hæc enim supponitur in ante productionem, & si actio productiva materiæ, non terminatur ad essentiam materiæ, non materia, sed aliquid aliud produceretur, siquidem non ejus essentia, sed aliud produceretur, non etiam illa productio terminaretur ad essentiam materiæ, non plus importat, quam importaret ab æterno, secundum quod erat, in statu essentia & tamen essentia rerum, dicuntur præcedere actionem divinam productivam, deinde si ad essentiam materiæ, præcisè terminaretur actio illa productiva, vel responderet illi actioni, esse extra causas

† f 3 illius

illius essentiae, vel non responderet; si responderet, esse extra causas; in materia praecise accepta: Ergo materia praecise accepta, hoc est prout condistincta à quovis alio, quod non est ipsa, existit, esse enim extra causas, & existere, idem sunt; si non respondet actioni, terminatae praecise, ad essentiam materiae, esse illius extra causas: Ergo erit productio, cui nihil responderet producti, nomine enim producti, hic venit esse extra causas, quod esse extra causas, dicis tu, non respondere illi productioni.

Non etiam illa productio terminatur ad existentiam formae, quia haec praesupponitur praexistere, aliaque jam actione producta, non etiam illa productio terminatur ad existentiam materiae, quia hanc tu illi negas.

Idem sic insuper proponitur. Materia prout condistincta ab existentia formae, & ipsa forma, sic inquam sumpta, est producta, est enim, & non est Deus. Ergo est producta. Ergo etiam prout condistincta ab existentia formae, & ipsa forma, existit, esse enim actu existens & esse productum hic verbis differunt.

Totum hoc sic brevius concluditur. Illud est existentia materiae, quod respondet actioni producenti materiam, ut Thomistae docent, sed existentia formae non est id, quod correspondet actioni producenti materiam, (ut supponitur, quando dicitur possibile esse ut producat, prius formam.) Ergo existentia formae, non est existentia materiae.

RESPONDETUR Cum Thomistis: actionem productivam materiae, Terminari ad unionem, ejusdem cum formam, neque enim possibile est per Thomistas, ut existat materia, spoliata omni forma.

CONTRA est. Tum quia falsum est, divinitus, non posse existere materiam sine omni forma. Tum quia si actio productiva materiae, terminatur ad unionem materiae cum forma: Ergo materia ipsa non producitur, siquidem, sicut cum erat in solo esse possibili, non terminabatur ad illam actio productiva, ita nec nunc terminatur; & sicut quando actio productiva materiae, terminatur ad ejus unionem, non producitur tunc Angelus, quia ad illum illa actio non terminatur, ita nec materia tunc producitur, cum ad illam illa actio per te, non sit terminanda. Tum quia illa unio, vel est idem cum materia entitative, vel non est idem; si est idem. Ergo sicut ad propriam existentiam unionis terminatur, illa productio, ita terminabitur ad propriam existentiam materiae; si autem unio illa non est entitative idem cum materia, productio illius non erit productio materiae, & tamen etiam materia, tunc, in casu suppositionis produceretur.

Haec argumenta sunt bona, sed procedunt non nisi ex suppositione indistinctionis realis, inter essentiam actualem, & existentiam, sol-

vi enim possent, dicendo, quod illi actioni, respondeat actus entitativus materiae, condistinctus ab existentia.

PROBATUR. 3. Ex principio item communi, quod scilicet materia, sit causa Physica formae materialis, quo ex principio sic formatur argumentum. Nulla forma praesupponit, in subiecto, effectum formalem, quem tribuere nata est; & ita albedo non supponit parietem album, antequam illi communicet esse album, sed forma substantialis, praesupponit existentiam in materia. Ergo illi non tribuit existentiam. Minor probatur; quia si materia est nihil, antequam educatur ex illa Materia, forma materialis. Ergo forma materialis, ex nihilo educitur à Deoque creatur.

Quod ipsum sic proponitur. In illo priori, antequam intelligatur educi forma materialis ex materia, falsum est, materiam esse nihil actu, quomodo enim nihil, causaret physicè. Ergo vera erit hujus contradictoria, materia pro illo priori, non est nihil actu. Ergo existit pro illo priori, haec enim verbis discrepant.

RESPONDEBIS I. Materiam, ante productionem formae materialis, existere existentia ejus, quae praefuit formae.

CONTRA. Tum quia restat quaestio, de ipsa prima forma materiali. Tum quia, si dum causat formam subsequentem materialem materiam, existit existentia formae, quae praefuit. Ergo utriusque tunc formae existentia datur, & hujus, quae causatur, & hujus, vi cujus existit materia, ut possit causare formam subsequentem, existeret tunc materia, duabus existentis, quod repugnat, sicut & repugnat, simul eam formari duabus formis. Tum quia per Thomistas, datur resolutio usque ad materiam primam, quomodo ergo causans formam materialem, quae existit dum causatur, existit praeteritā formam, & ejus existentia, cum praesupponatur perisse, in illa resolutione illa forma. Quod argumentum etiam infra attingetur.

RESPONDEBIS 2. In instanti generationis, materiam existere existentia formae quae generatur.

CONTRA est. Tum quia existentia, est causa, vel conditio necessaria tenens se à parte causae, ad hoc, ut causetur in instanti generationis forma subsequens, aliàs aliquid non existens, posset causare in actu secundo. Ergo Materia in instanti generationis, non potest existere existentia formae subsequentis, aliàs existentia formae subsequentis causaret seipsam, & aliàs posset esse ante seipsam, quia omnis conditio & causa, praexistit saltem naturā effectui, imo etiam concessa mutua prioritate in causis, nunquam tamen concudi potest aliquid, praesupponi ante se. Tum quia, ut urget Matrius, non potest forma tribuere existentiam materiae, quam informat, informatio enim pra-

præsupponit subjectum existens. Tum quia falsum est, dari mutuam causalitatem, de quo supra.

RESPONDEBIS 3. cum complutensibus. Causam efficientem, exigere existentiam ante effectum, sed non causam materiale, quæ cum sit causa potentialis, non indiget actualitate existentia, sed contenta est, esse actu extra nihil.

CONTRA est. Tum quia non est major ratio unius, quam alius; Tum quia nego materiam esse causam potentialem per exclusionem existentia. Tum quia esse actu extra nihil, est existere. Ergo cum exigit causam etiam materialis, esse actu extra nihil, hoc ipso indigebit existentia.

Hoc argumentum procedit non nisi ex suppositione indistinctionis inter essentiam actua-lem & existentiam. Dicit enim posset, quod ut causet materia, sufficiat illi actus entitativus.

Sed videnda sunt insuper argumenta, quæ probant etiam supposita distinctione reali, inter essentiam actua-lem, & existentiam, debere nihilominus habere materiam primam, propriam existentiam.

PRIMUM argumentum est ex Arriaga; Conformius est, ut etiam materia habeat propriam existentiam, sicut & alia entia.

RESPONDERI posset, quod alia entia, non sunt quid essentialiter potentia, ideo exigunt propriam existentiam, non verò materia, quæ est essentialiter potentia.

SECUNDUM argumentum est; Forma materialis dependet à priori, à materia non habet existentiam à formâ.

RESPOND. potest. Negando consequentiam, sufficere enim ut forma dependeat à materiâ tanquam ab habente actum entitativum.

TERTIUM argumentum P. Adriani Pikarski est; Supposita distinctione reali essentia ab existentia, ex vi unionis formæ ad materiam, non est necesse, uniri materiæ existentiam formæ, quia ista sunt distincta realiter. Si autem unum realiter distinctum uniatur, non est necesse aliud distinctum realiter uniri. Ergo supposita distinctione reali essentia ab existentia, necesse est, materiam habere propriam existentiam. Consequentia probatur, quia materia ex vi unitæ, debet habere existentiam, cum ergo possit non habere existentiam formæ, ut ostendit antecedens, debet habere existentiam propriam.

RESPOND. Quod, sicut per concomitantiam posito sub speciebus vini sanguine, est necesse poni corpus: ita connaturaliter, cui unitur forma, connaturaliter debet uniri etiam ejus existentia, & si daretur unio accidentalis, alligans unum corpus alteri, hoc ipso connaturaliter al-

ligarentur etiam formæ illorum corporum; ita & in præsentia, idque ideo, quia, si illa existentia est unita formæ, unita formæ, ex consequenti uniri debet & ejus existentia. Licet ergo unio supponat existentiam, id verum est, si secundum cursum naturæ fiat unio, aliàs sufficeret alterum membrum, quod est essentialiter potentia, habere non nisi actum entitativum.

QUARTUM argumentum ejusdem est; Supposita prædictâ distinctione, si non haberet materia propriam existentiam, eadem forma, quæ est existentia, esset causa vera & realis eaque totalis, influens in duos effectus formales totales, nempe in materiam & formam, quod fieri non potest naturaliter.

RESPOND. Quærendo cur albedo dulci & oderato tribuat effectum suum formalem, & si adhuc sufficit penetratio eorundem, cur cum materia & forma, natæ sint se penetrare, utriusque non poterit uniri eadem existentia? Deinde cum effectus formalis, sit ipsa forma, unita subjecto capaci, cum hic, eadem sit forma idem erit effectus formalis, inadæquatè, licet subjecta illius sint diversa.

QUINTUM argumentum est; Sequeretur aliàs pro varietate formarum, variari materiam, eamque ab agente naturali produci.

RESPOND. Non variandam materiam, quia idem semper actus entitativus, ejusdem manet, qui quia ab agente naturali non produci-
tur, fit ut nec materia, ab eodem producat.

Punctum Difficultatis 2.

Respondetur Objectionibus.

OBJICITUR 1. Auctoritas Aristotelis, qui negat materiam esse in actu, appellat illam potentiam, dicit non esse hoc aliquid, dicit nihil esse actu.

RESPONDETUR. Explicando Aristotelem, quod dicat materiam non esse actum informantem, vel solum non esse totum compositum, quod proprie est: *Hoc aliquid*.

INSTABIS primò. 8. Metaph. t. 15. & 16. Materia appellatur non solum potentia, sed per se potentia, id est essentialiter potentia. Unde etiam 1. Physicorum t. 79. dicit Materiam non cognosci, nisi per analogiam ad formas. Et 1. de gener. t. 23. inquit quod si subjectum generationis esset in actu generatio, foret alteratio. Et 1. Phys. t. 69. ait materiam se habere in toto genere rerum naturalium, sicut lignum in toto genere artificialium. Deinde quia Aristot. inferentibus antiquis si materia esset ens in potentia, esset nihil, non negavit Aristot. sequelam, ex eo, quia materia est Ens

† f 4 in

in potentia tantum subjectiva, non objectiva seu Metaphysica, sed ex eo, quia nunquam est corruptio sine generatione, & ideo nunquam materia manet ita in potentia, quod non sit ens actu per aliud.

RESPONDETUR. Materiam esse per se potentiam physicam, sed cum hoc stare potest, ut habeat esse extra causas adeoque existentiam. Consequenter ne sit potentia in ordine existendi. Materia non cognoscitur, nisi per analogiam ad formam, quia quod detur probavit id Aristoteles ex transmutatione substantiali, quæ habetur ratione formarum, cognoscibilesque per analogiam non aufert esse rei, nam etiam Angelos per analogiam ad animam cognoscimus, & invisibilia ex visibilibus, neque tamen per hoc aufertur illis esse. Rursus etiam concessa paritate, quod materia se habeat, sicut lignum in artificialibus, adhuc pro nobis est instantia, quia sicut antecederet ad formas artificiales, existit lignum, & non habet existentiam ab illis, ita nec materia habebit à formis substantialibus. Quod attinet ad argumentum antiquorum, illorum mens erat negare potentialitatem physicam, sed arguit illos Aristoteles quomodo non est potentia Physica materia, cum dentur generationes, sed inde nihil sequitur contra nos. Deinde quod nostra responsio ne non utatur Aristoteles, id proficiscitur ex eo, quia stabat in principio assumpto, probando quod detur materia, ex eo, quia dantur transmutationes substantiales, consequenter etiam nunc, ad idem recurrit, licitumque est idem, nunc ex hoc, nunc ex illo fundamento negare.

INSTABIS Secundò. Ens extra causas 9. Metaph. t. i. dividit Aristoteles in potentiam & actum. Ergo ex hoc præcisè quod aliquid sit pura potentia realis, etiam si omnem prorsus actum excludat, poterit rationem entis realis habere.

RESPONDETUR. Dividi illic Ens extra causas in potentiam & actum physicum, sed nego, quod potentia Physica, non possit esse actus Metaphysicus.

INSTABIS tertio. Immeritò poni divisionem in actum Metaphysicum & in actum Physicum, ut hæc posterior negetur materiæ, concedatur prior, neque ejus meminit Aristoteles. Addit Zabarella apud Maffrium, (apud quem hæc instantiæ) non posse explicari quid sit actus iste entitativus Materiæ.

RESPONDETUR ex Maffrio hujus divisionis haberi fundamentum in Aristot. 9. Metaph. t. ii. *Est autem, inquit actus existere rem, non ita, sicut dicimus, potentia.* Unde per nos hic actus Metaphysicus competit Materiæ, quamvis illa sit potentia Physica. Ex quo loco ipso explicatur quid sit actus entitativus Materiæ, nempe esse extra causas, seu existentia. Ad illud quod di-

cit Zabarella, si materia substantia foret, fore illam materiam materiæ, dici potest: immeritò imaginari arguentem distinctionem realem illius substantiæ, ab ipsamet materia, si non est distinctio realis, quomodo illa substantia, erit materia Materiæ, sicut dicitur materia ligni, quæ distinguitur realiter à forma ligni. Quod si nomine materiæ intelligas subjectum Metaphysicum, seu genus actuabile per rationem, à differentia Metaphysica, sic substantia erit Materia, utpote genus & commune, tam materiæ quam formæ, formeque ejus, erit materiæ prædicatum differentiale, vi cuius, determinabitur ratione nostra illa substantia, ut sit Materia, & vi hujus erit illa substantia Materia Metaphysica, materiæ sumptæ pro prædicato differentiæ, Metaphysicè constituentis materiam, sed non materia physica materiæ, physicè sumptæ, hæc enim implicat, nam implicat subjectum primum, subjecti primi.

OBJICITUR 2. Auctoritas S. Thomæ, prima parte q. 66. art. 1. & 3. parte a. 17. ar. 2. & alibi sæpe docet S. Thomas, materiam seipsa, non existere in rerum natura.

RESPOND. S. Doctor id solum vult, quod materia naturaliter non existat sine omni forma, vel quod de se non sit quid completum, interdum etiam ly existentia sumit pro subsistentia, ut cum negat humanitatem Christi habere propriam existentiam. S. Thom. nobiscum sensisse, videbis 1. par. q. 44. a. 2. & quæst. 14. ar. 12. ad 3.

OBJICITUR 3. Potest aliquid existere existentia aliena. Ergo & materia, poterit existere existentia formæ. Antecedens probatur. Tum quia id non implicat contradictionem. Tum quia defuncto humanitas Christi, existit existentia verbi.

RESPOND. Negando Anteced. implicantia supra ostensa, breviterque inter alia, in hoc stat. Quia implicat aliquid esse extra causas, per esse alienum, adeoque & existere existentia aliena. Humanitas etiam Christi non existit existentia Verbi, quia si non haberet humanitas Christi, propriam existentiam, productio illius non haberet ullum terminum, debuissetque assumere Verbum humanitatem, habentem solum esse objectivum, & potentiale, in causis solum. Ergo per existentiam intelligitur subsistentia, quod scilicet, non sua sed Verbi subsistentia, humanitas Christi per se existat & subsistat.

INSTABIS 1. Si humanitas Christi propriam existentiam haberet, sequenter Beatissimam, non posse dici Matrem Dei, tota enim illius causalitas & efficientia matri debita, terminata fuisset ad existentiam creatam.

RESPOND. Salvandam adhuc maternitatem, quia causalitas & efficientia matri debita, terminata fuisset ad existentiam creatam, non quo-

quomodocunque, sed ad existentiam terminatam Verbi persona. Et certe Beatissima dicitur Mater Dei, dicitur genuisse, & concepisse Deum, non quod ad unionem hypostaticam verbi cum natura humana concurrerit, id enim negant Theologi, sed quia, concurrat ad unendum corpus & animam, concurrat item ad formationem humanitatis, cui actioni conjuncta fuit actio Spiritus Sancti, unitiva humanitatis verbo, quo factum est, ut tota conceptio, quæ utramque illam actionem includit, terminata sit, non solum ad humanitatem, sed ad Deum hominem, propter communicationem idiomatum.

INSTABIS 2. Si humanitas Christi haberet propriam existentiam, Christus non esset unus simpliciter, & unus ens.

RESPONDETUR. Erit Christus adhuc unus ens, quia supposita perfectibilitate in natura, in esse suppositabilis & personabilis, perficitur a persona, idque substantialiter.

INSTABIS 3. Docent Patres, quod humanitas Christi, in verbo existat.

RESPONDETUR. Accidentia in subiecto existunt, forma item materialis, neque tamen licet inde inferre, quod non habeant propriam existentiam, sic nec prædicta locutione, rectè colligetur negatio existentie in humanitate. Existit ergo in verbo, quia existit cum habitudine & dependentia à verbo, tanquam à supposito, à quo sustentatur & terminatur, quod sufficit, ut aliquid dicatur existere in alio. Quamvis autem prius naturam existat humanitas, quam uniatu verbo, tamen prius natura, ad unionem non potuit quicquam operari, quia natura existens, non est capax operari aliquid, donec per substantiam aliquam terminata sit, actiones enim, sunt suppositorum.

Objicitur quartò. Ex compluten: Si materia etiam, haberet propriam existentiam, darentur in composito duæ partiales existentie, una debita materie & altera debita formæ, hoc non potest dici, quia illa existentia in materia, non posset esse ultimus terminus, & ultima actualitas ejusdem, deberet autem esse, est enim hoc, prædicatum necessarium in existentia.

RESPONDETUR. Quod existentia in materia, esset ultima actualitas in ratione existendi extra causas, sed non esset ultima, in ratione formativæ.

INSTABIS primò. Ex iisdem. Existentia, est terminus naturæ. Ergo nequit esse physice composita.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Sicut enim, potest esse aliquid compositum ex duobus, extra causas positæ ita & esse compositum, ex duabus existentibus, modò illæ sint entium ad se ordinatorum.

INSTABIS secundò. Ex iisdem. Quando ad-

huc causalitas exercentur, & ad ultimum sui exercitium non deveniunt, nunquam effectus intelligitur existens, est enim adhuc in fieri, at quousque causæ non attingunt totum, adhuc causalitates exercentur, &c. Ergo nec intelligetur effectus existens.

RESPONDETUR. Quando exercentur causalitates terminatæ, ad ponendum aliquid, extra causas, actione productiva, non censetur effectus esse existens, sed si exercentur causalitates, ad aliquid constituendum in ratione, actu informati, vel actu informantis, intelligi potest existere effectus. Hoc autem in præsentī contingit, quia cum exercentur causalitas ad uniri, præsupponitur jam actio productiva materie. Dicitur etiam potest, quod, quando causalitates exercentur, nondum intelligatur res habere existentiam totius & completi, licet possit intelligi, habere existentiam partis, & compositivi. Quanquam videretur hoc argumentum multum probare, nempe quod etiam anima rationalis in priori naturæ, quam uniatu corpori, non habeat existentiam, adhuc enim in illo priori exercetur, circa illam causalitas unitiva.

INSTABIS tertio. Ex iisdem. Si materia prima haberet propriam existentiam, tunc existentia contraheretur per potentialitatem, ad rationem existentie, quæ competat materie, existentia enim materie debet esse existentia potentialis, sed per potentialitatem existentia contrahi non potest, quia si existentia contraheretur per potentialitatem, id quod est nobilius, contraheretur per ignobilius, ratioque inferior, seu contrahens, esset ignobilior superiori, contra quam velit Aristot. 8. Metaph. textu 10.

RESPONDETUR. Existentiam non contrahi per potentialitatem existendi extra causas, hoc enim implicat, contrahi tamen per potentialitatem, hoc est posse informari ab actu sive formæ, quæ potentialitas, nego quod sit ignobilior existentia, nam hæc potentialitas substantialis, attollit illam, supra existentiam accidentium. Concedo quidem, quod Materia sicut spectat ad quoddam genus, quod est substantia, ita spectat ad aliquam speciem determinatam Metaphysicam, nam ipsa ratio materialitatis in Materia, est ratio ejus differentialis, restringens rationem substantie, adeoque collocans Materiam, in determinatâ specie Metaphysicâ, licet non collocet in determinatâ specie physica, quia hæc habetur à forma physica. Quando autem dicitur, illam existentiam Materie, fore potentialem, respectu formæ, si habeat hunc sensum: quod actuetur in ratione existentis, existentia formæ, falsa est propositio: si habeat hunc sensum; quod sit existentia potentialis, hoc est existentia potentie, ad actum physicum, vera est propositio, eo quod existentia sit quidem

dem ultima actualitas rei Metaphysica non tamen physica, adeoque relinquens locum actuali physicae, à Forma.

OBJICITUR. 5. Si materia haberet propriam existentiam, & forma propriam, non posset ex illis unum fieri per se, quia duo actus non possunt coalescere in unum ens per se.

RESPONDETUR. Quod duo actus, hoc est duo extra causas posita, possint coalescere in unum, si alterum sit potentia, & alterum actus, ad se invicem ordinata, licet non possint coalescere in unum, duo actus, hoc est duo completa, vel incompleta quidem, sed ad se non ordinata.

INSTABIS primò. Ergo existentia materiae, recipit in se, sicut formam, ita & existentiam illius. Ergo ulterius denominat existentia formam materiam, existentem, (sua existentia).

RESPONDETUR. Concessa prima illatione, negari secundam, quia non omnes denominationes, quas à suis prædicatis fortitur forma, potest illas tribuere materiae, & ita materia non dicitur ens, entitate formae, porro ea prædicata tribuuntur materiae à formâ, quarum est capax, quæ item non censetur vi sua præhabere, & in quibus ordinatur ad aliud, jam autem præhabet in se existentiam materiam, nec in hoc genere, manet complebilis.

INSTABIS secundò. Ergo nullum erit discrimen, inter Materiam, & formam, utrumque enim existit.

RESPONDETUR. In ratione existentis nullum fore discrimen, fore tamen in hoc, quia Materia est subiectum & potentia, non est autem forma, subiectum, &c.

INSTABIS tertio. Potentiale non est aliquid actu illius generis, cuius est potentiale, nec formaliter, nec reductivè, ut patet de superficie receptivâ coloris, quæ non est aliquid actu, in prædicamento qualitatis. Ergo cum Materia sit receptiva substantiæ, non erit aliquid generis substantiæ.

RESPONDETUR. Potentiale, in eo, in quo est potentiale, non esse aliquid actu illius generis, cuius est potentiale, potest tamen potentiale in eo, in quo non est potentiale, esse aliquid illius, quod recipit. Et ita superficies, est quid potentiale, ad recipiendam lucem, nec est antecedenter lucida, licet tamen illa lux sit accidens, nihilominus superficies, jam est antecedenter accidens; ita materia est potentia ad recipiendam animam substantialem, nihilque antecedenter habet animati, cum hoc tamen stat, ut habeat rationem substantiæ, quia in ordine ad hoc, non est quid potentiale.

OBJICITUR sextò. Materia dependet à formâ in existere. Ergo non habet existentiam propriam.

RESPONDETUR. Argumentum imprimis multum probat quia accidentia, dependent etiam

à subiecto in existere, imò & forma materialis, & tamen conceditur illis propria existentia. Ergo ex præcisò dependere, non arguitur rectè negatio existentia, imò ex dependentiâ, quæ non sit objectiva tantum, arguitur existentia, prius est enim existere, quàm dependere. Porro materia dependet à formâ, in existere, hoc sensu, quia non potest naturaliter existere sine forma, sed non dependet à forma in existere simpliciter. Quia non dependet in esse extra causas, habet enim materia suum proprium esse extra causas.

OBJICITUR septimò. Materia nullam habet propriam operationem. Ergo nec existentiam, esse enim, est propter operari.

RESPONDETUR. Esse efficientis, est propter operari rigorosè, esse autem aliud, sufficit ut sit propter operari latiori modo, seu propter quasi operari: Convenit autem enti potentiali quasi operari, hoc est causare, dando se in partem compositi, emanando suas proprietates v.g. quantitatem &c. Unde etiam dici posset, quod esse completum sit propter operari rigorosum, non autem esse incompletum.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta Recentiorum.

OBJICIT primò Maurus q. 7. phys. Si materia prima esset actus, vel haberet proprium actum, non generaretur de novo substantia, cum tamen corpora multa, non tantum mutentur secundum accidentia, sed etiam secundum substantiam. Sequela probatur. Omnis forma esset accidens, Materia verò prima, esset tota substantia corporum. Quod ipsum probatur. Accidens est Entis Ens, seu Ens secundarium, constitutum per esse non primum. Sed omnis forma, e.g. Leonis, esset entis Ens, & ens secundarium constitutum per esse non primum, sed supponens esse actuale materiae. Ergo omnis forma esset accidens.

RESPONDETUR. Hoc argumentum si quid probat, probat etiam materiam ipsam, in omni generatione produci, certè enim vel produci- tur ante formam materiam, vel non produci- tur: Ergo forma esset Entis Ens; si non produci- tur, habetur intentum; nempe materiam, in omni generatione produci, & tamen hoc dici non potest, cum omnes sentiant, materiam primam nonnisi creari. Quando autem recurrit ad hoc Maurus: ideo materiam non generari, tunc, nec produci, quia tunc aliquid accipiendo existentiam produci- tur, quando non supponitur prius per aliam existentiam existere, quando in- quam

quam ad hoc recurrit, quidquid sit de veritate doctrinæ, redit tamen argumentum; si enim non supponitur produci tunc materia, tanquam existens, jam alius formæ existentia: Ergo adveniens alia forma substantialis, erit entis ens, adeoque accidens.

Rursus argumentum probat, etiam contra intentum Thomistarum, qui non negant materiam primam esse ens, licet affirmant, quod non habeat propriam existentiam, si enim haberet propriam entitatem jam accedens forma, esset entis ens, adeoque nulla substantialis.

Probat item argumentum, quod materia sit accidens, quia forma præsupponeretur jam esse ens, essetque ens secundarium materia, constitutum per non esse primum Ens, hoc enim esse primum ens, competeret formæ, consequenter respectu formæ esset materia accidens.

Directè ad argumentum dici potest, quod esse Entis ens, tanquam merè subjecti informationis, vel sustentationis, non sit esse accidens, licet sit accidens esse entis ens, ut loquitur Maurus, per modum adjacentis. Negatur item, quod definitio accidentis, sit esse ens secundarium, hoc est præsupponens subjectum sui receptivum. Negatur item, quod esse constitutum, per esse non primum, hoc est per negationem subjecti primi, rectè accidens definiat. Addo, cum per principia arguentis accipiat existentiam in composito, materia à forma, deberet in composito ipsa forma transire in rationem accidentis, est enim forma Materiæ adeoque Ens entis.

INSTAT PRIMÒ. Substantia est ens per se stans, & non adjacens alteri, est item substantia Ens fundamentale ac subsistens, sola autem materia esset talis.

RESPONDETUR. Negando, quod forma v.g. Leonis non sit futura ens per se stans, quamvis supponat materiam tanquam subjectum sustentativum existens; & licet adiaceat alteri, improprie, tanquam subjecto sustentationis, vel informationis, potest tamen esse substantia, quia non adiacet proprie, & tanquā subjecto inhætionis.

INSTAT SECUNDÒ. Si materia habet propriam existentiam, materia esset tota substantia, corporum, materia non generaretur. Ergo nihil substantiæ generaretur. Sequela Probat. Quia soli materiæ conveniret definitio substantiæ, nam sola materia constitueretur, per esse primum, per se, fundamentale, subsistens, ac non receptum in alio.

RESPONDETUR. Hoc argumentum probat simul, solam formam esse substantiam & non materiam, quia sola esset ens primum, quia nullum aliud supponens, per se, quia non indigens materia, ut illi det existentiam, fundamentale, quia nonnisi supposita illius existentia, existeret materia, nullumque aliud supponeret.

Directè autem dicitur, solam materiam esse constitutum per esse primum, primitate præsuppositionis, tanquam subjecti & potentiæ, sed non solam esse ens primum, primitate quacunque. Hinc nego rectè definiri substantiam, per rationem primi utcunque, aut per rationem non recepti utcunque sed sufficit ut non sit recepta in alio, tanquam in subjecto inhætionis, licet recipiatur in alio tanquam in subjecto informationis, sustentationis, &c. multoque minus substantia est ens primum esse, si enim est primum ens, superfluit dicere, quod sit constitutum per primum esse.

INSTAT TERTIÒ. Posito, quod materia habeat propriam existentiam, debet negari, aut definitio substantiæ, aut quod aliquid de novo generetur, &c. Unde Antiqui, ut videre est i. Part. Quest. 76. A. 1. cum posuissent materiam esse Ens actu, negabant, fieri de novo generationes aut corruptiones substantiales, è converso Scotus, & sequaces, admittentes, cum Aristotele, novas generationes fieri, & corruptiones, negarunt definitiones substantiæ, & accidentis, Aristoteles autem ut utrumque salvaret, posuit materiam esse ens non actu, sed potentia.

RESPONDETUR. Negando sequelam ex positione antiquorum sequebatur non fieri nisi alterationes, quia ponebant materiam, non tantum esse ens, in actu Metaphysico, seu existentiā, sed etiam in actu Physico, quia dicebant, actu haberi omnes formas in materia, adeoque nullam de novo introduci posse, sed si posuissent nobiscum, materiam esse ens, in actu nonnisi Metaphysico, nego quod sequeretur ex hac positione, nullas dari de novo generationes substantiales. Scotus & ejus in hoc sequaces, negarunt definitiones substantiæ, sed illegitimas, qualis est illa: Substantia est ens primum, constitutum per primum esse; Nam dictum superfluum habet terminos, & quærere restat, quid sit ista primitas, quæ conveniat & materiæ & formæ, cum tamen forma supponat materiam. Multoq; minus, bona erit definitio accidentis, cum procedat per aliquid negativum, & aliunde non modificatur istud esse primum. Posito, quod substantia sit ens per se stans, & non adjacens alteri, quærere restabit; cur forma substantialis, non sit adjacens, sint adjacentia accidentia, quid ista adjacentia? Si enim adiacere, est accidere. Ergo definitio accidentis, quod est quidem vocis notificatio, sed non definitio: quærere item restat, cur forma Leonis, quæ non potest existere sine materia omni, sed in illa recipitur, cur inquam non sit ens fundatum in materia? Cur non sit ens receptum in alio esse, hoc est in materia? adeoque per te jam non substantia.

OBJICIT SECUNDÒ idem. Quia contraria sententia nunquam satis explicat, quid sit substantia? quid accidens?

RESPON-

RESPONDETUR. Quid sit substantia, quid accidens, dictum alibi, ubi de Prædicamentis. Retinentur interim termini, quos sibi objicit Maurus. Quod scilicet substantia, sit primum intentum Naturæ.

INSTAT Primò. Quis fuit consiliarius Naturæ, ut possit in ejus intentione discernere, quid illa primò intendat.

RESPONDETUR. Non est necesse esse consiliarium Naturæ, sufficit esse speculantem naturæ facta, & objecti conditionem, ex qua erui potest, quid primò intenderit Natura. Sicut nemo consiliarius Dei fuit, in decreto Incarnationis, vel in condendo mundo, & tamen inferitur ex proportionem ad manifestè primò intentum, quid primo intenderit Deus, ita & in præfenti.

INSTAT Secundò. Hoc ipsum quaeritur, quid sit illud ens, quod natura primò intendit, & quæ habeat intrinsecam quidditatem, & differentiam ab accidente, propter quam primo intenditur à Natura?

RESPONDETUR. Hoc sufficienter notificari per explicationem, quid Natura, quid primum, quid intentum, & per proportionem ad manifestè intentum. Et ita manifestè intentum, est finis, qui dum appetitur, cætera ob illum appetuntur: ita Natura intendit Leonis formam, cui quia talis organisatio, tales proprietates, tales actus debentur, omnia hæc sunt accidentia.

INSTAT Tertiò. Non omnes substantiæ sunt primum intentum Naturæ, sed solæ rationales.

RESPONDETUR. Aliud est primò intentum dignitate, & aliud primò intentum ordine appetendi: dignitate primò intentum, sunt formæ substantiales, sed non solæ illæ, ordinè primò appetuntur; cum comparatè ad actus, ad proprietates, ad combinationes, ad organisationes, prius intendatur forma Leonis, quàm hæc numerata. Nec erit hoc definire substantiam, recedendo à nozione nominis substantiæ, si enim est primò intentum, est prima: si recipiantur in illa accidentia, per prius debet intendi, quàm accidentia. Hoc autem quod est, esse primò intentum dignitate, competit non soli animæ rationali, sed & aliis Formis Substantialibus.

OBJICIT Tertiò idem. Quod est actuabile, actibus alicujus generis, non includit in se antecedenter actum illius generis, sed ad summum generis prioris, & ita quod est figurabile omnibus figuris, non includit in se ullam figuram actualem. Sed materia prima est subjectum actuabile in genere substantiæ. Ergo antecedenter ad formam, non includit in se ullum actum.

RESPONDETUR. Materiam primam esse ens actuabile, actualitate physica, in genere substantiæ, non enim ullam habet de se formam Physi-

cam, sed non esse actuabile, actualitate Metaphysica, hoc ipso enim, quod materia sit extra causas, non est nihil, adeoque habens propriam existentiam.

INSTAT Primò. Sicut datur figurabile, quod antecedenter ad figuram, non est actu figuratum, ita dabitur & substantiale & actuabile, quod antecedenter ad actum substantialem, non est substantia, neque ens actu, sed pura potentia.

RESPONDETUR. Ante actu figuratum, ponit ipsa objectio actu figurabile. Ergo debet dari ante actu formatum, actu formabile, hoc autem est verbis differens in præfenti, ab existente materia. Disparitas etiam est, quia si figurabile, antecedenter ad figuram esset actu figuratum, non posset ostendi, quid in linea figuræ acquirat figurabile; jam autem posito, quod materia habeat actum Metaphysicum substantialem existentia, potest ostendi quid acquirat materia, nempe actum substantialem Physicum formæ v. g. Leonis.

INSTAT Secundò. Non minus propriè fit substantia, & ens, quàm figuratum, sed figuratum fit ex subjecto figurabili, quod ante figuram, non est actu figuratum. Ergo substantia fit ex substantiabili, quod ante formam non est actu alia substantia, sed solum potentia.

RESPONDETUR ex dictis, quod figuratum fiat ex subjecto figurabili, quod ante figuram, non est actu figuratum, ita ut nec supponatur figurabile esse in se extra causas, Nego, ita ut supponatur, Concedo idemque erit dicendum de materia. Reliqua petantur ex dictis ad Instantiam primam primam immediatè.

INSTAT Tertiò. Sicut ad alios actus prærequiritur potentia, v. g. ad actum coloris, prærequiritur colorabile, sic ad primum actum, qui est esse substantiale, prærequiritur ens potentia, quod est substantiabile. Sed potentia prærequisita ad primum actum, non potest antecedenter ad illum habere ullum actum, alioqui haberet actum ante primum actum. Ergo materia prima, quæ est prima potentia, primumque subjectum receptivum primi actus antecedenter ad formam, non est actus nec habet actum.

RESPONDETUR. Potentia respectu primi actus, respectu cuius est potentia, non potest habere ullum actum, alioqui ille actus, hoc ipso non esset primus, cæterum potentia respectu diversi actus primi, potest etiam diversum habere actum, jam autem materia à parte rei posita, est potentia respectu formarum, sed non est potentia diverso respectu, nempe non est in potentia adesse extra causas, adeoque nec est in potentia ad existendum. Plenior hujus difficultatis solutio petetur, ubi actum de substantia in Logicis.

DIFFICULTAS III.

Quomodo Materia dependeat à Forma in existendo.

NOSTRI ordinariè asserunt, non posse naturaliter existere materiam sine omni forma, posse supernaturaliter. Thomistæ autem censent, nec divinitus id fieri posse.

Punctum Difficultatis 1.

Premittuntur quedam.

PRÆMITTO 1. *Aliam esse dependentiam à priori, aliam à posteriori*; Dependentia à priori, est, dependentia ab alio; tanquam à causa, dependentia autem à posteriori, est dependentia, seu potius connexio cum alio, vel tanquam cum effectu, vel tanquam cum passione, proprietate. Utraque hæc dependentia, alia est essentialis, quæ scilicet est connexio, ne à Deo quidem supplebilis, & talis est connexio materialis compositi cum materia, & forma, fundamenti relati cum termino: alia autem dependentia, est pro ordine naturæ seu naturalis, quam Deus supplere potest, qualis est dependentia accidentis à subjecto.

ADDITIONE Oviedo. Dependentiæ comitantem, quam habet entitas cum alia, quæ rationem causæ aut effectus respectu illius non habet, est tamen talis, ut sine ea subsistere non possit illa altera entitas, qualem dependentiam per illum, habet unio ab extremis. Cæterum, nulla causa, habet connexionem necessariam, cum actuali effectu; & ita ignis non habet necessariam connexionem cum actuali urere, potestque; activitas agentis calidi, impediri per resistantia frigidi.

PRÆMITTO 2. *Ordinariè non agnoscitur dependentiam materiam à forma à priori.*

RATIO, quia dependentia à priori, & tanquam à causa, est dependentia ab alio vel tanquam ab efficiente, jam autem nulla forma efficit materiam, quia nulla creat; vel est dependentia tanquam à materia, & sic materia non pendet à forma, hoc ipso enim jam non esset subiectum primum, si materia dependeret à forma, tanquam à sua materia, vel certè dependentia à priori, est dependentia ab alio tanquam forma, sed hæc dependentia tunc est à priori, quando hoc, quod causat formam, constituit illud, neque enim causat formaliter à priori, aliter quam constituendo: materiam autem, non constituit forma. Dependentiæ etiam à priori, causationem exigit, quomodo autem causabit forma materiam, & sicut non sunt dignificanda entia sine necessitate; ita nec dignificandæ dependentiæ, cumque dependentia à posteriori sit ignobilior, sufficit ponere eam in materia respectu formæ, cum altioris dependentiæ ponendæ,

nullum sit fundamentum. Neque valet si dicas, formam esse conditionem requisitam, ad esse materiæ, potius enim materia disposita, est respectu producentis formam, conditio requisita, priusque debet esse materia quam producat formam, quam tu dicis conditionem, ad esse materiæ requisitam. Ergo neque tanquam à conditione pendet materia à forma, conditionesque ex parte causæ requisitæ, non reducuntur ad causam formalem, sed ad efficientem.

PRÆMITTO 3. *Ordinariè non agnoscitur dependentiam, à posteriori in forma essentiali, & in supplebilem à Deo, de quo inferius, agnoscitur tamen dependentiam naturalem.*

PRÆMITTO 4. *Displicere Oviedo. Si dicatur materiam dependere à forma à posteriori*, rationem dat, omnis causa, est prior suo effectu. Ergo antequam sit effectus, supponitur entitas causæ. Ergo supponitur quicquid necessarium est, ut existat. Ergo quocunque alio existente vel non existente, erit causa. Ergo causa potest non dependere ab existentia effectus. *Verget* ulterius, illud quod est posterius, nullum influxum physicum aut morale, potest præstare in illud, quod est prius, si enim est prius. Ergo supponitur habere omnes causas, sui productivas. Ergo ab isto posteriori, non potest dependere effectus.

Sed hæc ratio non convincit, quia licet, antequam sit effectus, supponatur omne illud quod à priori est necessarium, & per modum causæ, ut existat causa, potest tamen non supponi antecedenter, omne & quodcunque requisitum; hinc quocunque alio existente vel non existente, erit causa quantum ad ea, quæ à priori requirit, licet non possit esse, si desint ea, quæ à posteriori requirit, hocque dicere debent omnes, qui tenent, impossibile uno effectu reddito, reddi Deum impossibile à priori, sed à posteriori, & ex consequenti, cumque illud posterius, influxum non exhibeat; sit ut ab illo posteriori, non dependeat effectus, tanquam ab aliquo priori, dependeat tamen, tanquam ab exigito, ut ponatur in statu qui illi debetur.

PRÆMITTO 5. *Invenisse Oviedo, modos salvandi connexionem cum effectu v. g. possibilis est causa, quæ posteaquam producta sit, exigit non aliter conservari, nisi ut Deus sit determinatus, faciatque decretum, ad concurrendum cum illa ut producat effectum suum, & quæ, si naturaliter producenda sit, exigit, ut antequam illam Deus producat, supponatur determinatus ad concurrendum cum illa, ad effectum, quem necessariò producere debet. Ergo fieri potest, ut causa dependeat à posteriori, ab effectu. Item possibilis est talis causa, quæ exigit, ut Deus actu scientiæ conditionata, tali, circa causam versetur, si hanc causam produxero, connaturaliter, necessariò habebit hunc effectum. Ergo fieri poterit, ut causa*

† g de-

dependeat à posteriori à suo effectu, &c. Vide eundem. Quæ omnia admitti possunt, sed cur illa exigentia, talis decreti, talis notitiæ, non poterit dici fundare dependentiam à posteriori.

His positis, pensanda jam sunt argumenta, quæ probant naturaliter materiam, non posse existere, sine omni forma.

Punctum Difficultatis 2.

Pensantur rationes, an Materia possit existere sine omni forma?

PIMUM Argumentum est: Materia est incompleta substantialiter. Ergo non potest naturaliter existere, sine omni forma.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia etiam anima rationalis est incompleta substantialiter, & tamen, ex præciso titulo incompletionis, non impeditur, ne naturaliter separata existat, quæ ergo hæc est incompletionis species in materia, eandem impediens, ne existat, naturaliter sine omni forma?

Dicunt alii; materia sine forma est turpis. Ergo illam horret natura. Sed materia sine forma existens, non est turpis positive, cum habeat pulchritudinem positivam, quæ pulchritudo positiva, stat in habere prædicata sua, & differentiam essentialem, quod competit materiæ, licet sit turpis privative, quia potest perfici accessu alicujus, cujus est capax recipiendæ pulchritudinis: hoc turpe privativum non horret natura, quia & anima rationalis separata, non habet omnia prædicata, quæ habere ex unione potest, & tamen illam non horret natura, imò etiam concessio, quod materia spoliata omni formâ, sit monstrum quoddam, cur ex accidenti, dari non poterit, sicut dantur naturaliter & alia monstra. Rursus alii, id inde colligunt: quia materia esset ens otiosum, & non esset, sicut anima rationalis, quæ etiam extra materiam operari potest. Sed non esset ens otiosum; emanaret enim ex se suas passionibus, esset apta componere compositum. Deinde etiam in composito, materia activè nihil operatur, & tamen non est ens otiosum; quia habere prædicata sua essentialia, iisque complere universum, non est otiosi.

SECUNDUM Argumentum est ex Hurtado. Agentia naturalia non habent virtutem, ad spoliandam materiam omni forma, expulsio enim dispositionum, quorum defectu forma cedit, fit ab aliis dispositionibus, pro nova formâ inductis. Ergo si agentia non habent vim, ad spoliandam materiam, omni forma, nec materia existere poterit, sine omni forma.

RESPONDET ARRIAGA. Negando Antecedens. Quia licet ordinariè introducatur post unam

formam, alia forma, ubi fuerit materia, benè disposita, cur tamen naturaliter non poterit fieri oppositum? Demus, inquit ille, lucem esse dispositionem ad formam substantialem aliquam, nonne lux potest cessare, sine ullis dispositionibus, de novo inductis, & cur non, & alia dispositiones? Deinde, cur statim ab initio mundi non potuit, & quidem, non contra naturam materiæ, produci materia, sine omni forma? Nego item, quod non possint dari duo agentia contraria æqualis activitatis, quorum utrique dispositiones præteritæ sint dissonæ, vincunt ergo illas, ob resistantiam autem æqualem mutuam, non possent inducere novas dispositiones, completè requisitas, ad suæ formæ inductionem.

Neque valet, si dicas, ex eo ipso, quod materia sit ens incompletum, exigit produci nonnisi unum cum alio, sicut & anima rationalis, licet possit naturaliter existere sine materiâ, produci tamen primò, nonnisi in corpore postulat, non inquam valet, si dicas: quia non demonstratur ens incompletum, non posse produci, sine alio, modo completionem habeat suorum essentialium prædicatorum. Negat etiam Arriaga, constare quod anima rationalis naturaliter non possit produci, extra corpus, sedposito etiam, quod anima rationalis, naturaliter extra Corpus produci non possit, non sequeretur adhuc, quidquam pro materia. Ratio: quia cum anima rationalis in suo conservari in corpore, dependeat à dispositionibus, congruum erat: ut & in primo suo produci, penderet à dispositionibus, jam autem materiæ, repugnat in suo produci pendere à dispositionibus, cujus positio ad unum placitum divinum referenda est; Deinde, cur non dicatur, duplicem esse seriem eorum, quæ creantur à Deo, quorundam, quæ petunt determinare Deum ad sui productionem, & tales sunt rationales animæ, quæ nonnisi ad exigentiam dispositionum producantur, alia autem quæ petant pendere in suo produci, merè à libertate Dei, & cur non erit talis materia, quo casu non erit jam ratio, cur simul cum alio debeat produci materia, ex eo, quod sit ens incompletum.

TERTIUM Argumentum est Suarez 1. Non esse verisimile, materiam hanc sublunarem, esse magis independentem à formis substantialibus, indefinitè acceptis, quam sit dependens materia, cœlestium corporum, à suis formis, sed materia cœlestis corporis pendet naturaliter à sua forma. Ergo & hæc materia sublunarium pendebit ab eadem.

RESPONDETUR. Sicut malè quis argumentaretur ex eo, quia non datur agens naturale, quod corrumpat formam cœlestium corporum, & dissolvat unionem illorum, ita etiam non dari agens, quod corrumpat sublunarium, sic non videtur, currere argumentum, à connexionem materiæ cœlestis, cum suis formis, ad connexionem materiæ sublunaris, cum suis. Disparitasque

esse in hoc posset, quia forma cœlestis, cum sua materia, habet unionem naturaliter incorruptibilem, ideo sine illa, esse non potest naturaliter, forma autem corporum sublunarium, non habet unionem incorruptibilem naturaliter.

INSTAT primò Suarez. Non potest naturaliter materia, esse sine omni forma accidentali. Ergo nec sine omni forma substantiali.

RESPONDETUR. Quod attinet, ad accidentia connotativa, ut durationem, ubi, sine illis non potest esse etiam divinitus materia, eo, quod identificentur ipsi materiæ, licet ad suum formale exigant circumstantias; jam autem, nulla forma substantialis, identificata est materiæ. Quod attinet ad accidentia distincta realiter, hoc ipsum esse demonstrandum, non posse materiam carere omni accidenti, excepta quantitate, quæ ex una parte, nulli agenti materiali est contraria, ex alia parte, quia emanativè producit à materia, habetur semper radix substituendi quantitatem, jam autem, non emanat ex se materia, formam substantialem.

INSTAT secundò idem. Materia hæc, ad hoc facta est, ut semper, sit sub formis. Ergo apparet illam indigere formâ ad existendum.

RESPONDETUR. In antecedenti, peti principium. Addit Arriaga, hoc non fieri, quod de facto aliquando non fuerit sine omni formâ, quis enim ab initio mundi fuit, in omnibus locis, ut hoc observaret, imò, nec potuisset hoc quisquam advertere, quod hæc materia, sit sine formâ, si remanerent accidentia, illi formæ debita, sicut, nec nos advertimus non esse substantiam panis in Eucharistia, quia manent accidentia panis. Sed doctrina hæc Arriaga, sicut & adlata ad Argumentum secundum, in nostrorum principis, locum non habet, tenet enim Arriaga naturaliter posse existere, materiam sine omni formâ, cujus oppositum tenendum est.

QUARTUM Argumentum est cujusdam; Materia, semper amittit aliquas partes, in omni expulsiōe formæ. Ergo si careat omni absolute formâ, non videtur posse naturaliter subsistere, si enim ad modicam privationem, quæ sola naturæ prioritate antecedit, sequitur diminutio aliquarum partium materiæ. Ergo si absolute careat omni formâ, non posset naturaliter tota subsistere.

RESPONDETUR. Negando antecedens. Non enim apparet, quomodo materia amittat aliquas sui partes, quæ omnino incorruptibilis est, a creato agente: quod si tantum amittit totalitatem resultantem ex unita forma, non probatur intentum, quia hoc ipsum probari debuisset; nempe naturaliter repugnare, absque tali totalitate, existere materiam.

INSTAT primò. Idem. Omne quod existit, non solum debet habere complementum suum Metaphysicum, sed etiam Physicum, & ita non potest naturaliter existere, anima rationalis, sine

perfectiōe sua physica, hoc est intellectuibus, & volitionibus, materia autem spoliata omni forma substantiali, existeret sine complemento suo Physico.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Certè enim quinque digiti, sunt complementum physicum manus, nunquidne uno digito, sine miraculo, concursuque supernaturali carere non poterit manus? nunquid naturaliter, in deliquio, non caret anima operationibus intellectus, & voluntatis?

INSTAT secundò. Non potest naturaliter esse corpus, sine omni alimento. Ergo & sine omni forma materia.

RESPONDETUR. Ex hoc antecedenti, oppositum erui, quod scilicet saltem per modicum tempus, possit esse materia sine omni formâ, sicut & corpus est interdum, sine alimento saltem antonomasticon dicto. Disparitas etiam assignari potest, quia suppositâ continua pugna, decissioneque partium, quæ consumuntur, debet dari aliquid, quod decidentium vices suppleat; quia autem nulla fit suppletio in materia, à formis, sit ut non habeatur idem fundamentum, ad adstruendam conjunctionem formæ, cum materia, quod militat pro alimento.

INSTAT tertio. Non potest quidquam indeterminatum existere, & ita aqua, quamvis possit non esse tricubitalis, necessario tamen exigit multitudinem partium determinatam, quæ determinatio, sit ab agente. Ergo quia materia prima, ex se, non est determinata ad tantam multitudinem partium, determinari debet à forma, adeoque nec existere potest sine illa.

RESPONDETUR. Determinationem tantam partium materiæ, posse haberi à Deo, à formis expulsiis, quamvis non introductis novis.

QUINTUM Argumentum est aliorum. Forma materialis, non potest existere naturaliter, absque omni materia. Ergo neque materia potest existere, absque omni forma.

RESPONDETUR. Ne negetur antecedens, difficultatem facit Mysterium Eucharisticum, cujus miraculum depretiaretur, si naturaliter forma materialis posset existere, sine subjecto, sed posset aliquis evadere, dicereque, quod naturaliter formæ accidentales, titulo ipso accidentium, non possint esse sine subjecto, secus forma substantialis etiâ materialis, & quod hæc sit natura, accidentiarum formarum, constare nobis ex sensu Patrum, qui non procedit, nec attingit quidquam, de formis substantialibus. Hæc tamè evasio, merè est evasio, sine positivo fundamento, concedens aliquid, contra communem sensum Doctorum. Hinc melius. Negari potest consequentia; quia formæ materiales substantiales, educuntur, hoc ipso, quia educuntur. Naturaliter, sine subjecto existere non possunt, cum illa definitivè, dicantur educi, quæ non habent titulum existendi naturaliter sine subjecto,

† g 2 quia

quia autem non convenit educi materiæ de forma, fit, ut sine forma naturaliter existere possit.

SUPPONIT etiam hæc doctrina, quod in ordine ad existentiam, nullam causalitatem exerceat forma in materiam, quæ enim hæc causalitas præcipue in ordine, ad Ens, quod non nisi creari potest, & quod potius est causa existentia formæ materialis; deinde si esset aliqua causalitas formæ, in existentiam materiæ, illa esset in ordine causæ formalis, si esset in ordine causæ formæ, ne divinitus quidem posset esse materia, sine omni forma; quia causalitas causæ formalis, utpote causæ intrinsicæ, ne divinitus quidem suppleri potest.

Punctum Difficultatis 3.

Decernitur de Difficultate.

DICENDUM est Primò. *Non esse ullam demonstrationem per principia positiva & intrinseca quod naturaliter, non possit existere materia, sine omni forma.*

PROBATUR Conclusio: Quia nulla talis demonstratio, adferri potest.

DICENDUM est Secundò. *Materiam nihilominus, non posse existere naturaliter sine omni forma.*

PROBATUR Conclusio. Quia ex una parte ita fert communis Doctorum sententia, ex altera parte, oppositum, nec ratio positiva, nec experientia probat, & sicut, quia nec ratio, nec experientia probat, quod ignis frigefaciat, divinari esset, dicere, quod naturaliter frigefacere possit, ita, quia nec ratio, nec experientia probat, quod materia sine forma existere possit, hinc oppositum, mera divinatio est. Est ratio procedens per principium negativum. *Sed in contra*

OBJICIT Primò Oviedo. Nullum est fundamentum adstruendi, quod sit dependens materia, saltem per posterius à forma, cum nullum sit fundamentum asserendi, talem esse connexionem materiæ, cum formis, qualem explicuit Oviedo Præmissò quinto, supra.

RESPONDETUR. Hoc argumentum procedere ex principio negativo, scilicet nulla est ratio, deinde retorqueri potest argumentum, cum non videamus per experientiam existere materiam sine forma substantiali, non est ratio, asserendi, naturaliter id fieri posse; denique, non est fundamentum, quod tale decretum non sit positum, exigente id naturâ materiæ, ut nunquam illa existat sine forma, cum videamus, nunquam illam existere sine forma, benè ergo concludetur, Materiam non posse existere sine omni Forma.

OBJICIT Secundò idem. Quia, si quæ causa dependeret à posteriori, à suo effectu, posset illud per simplicem emanationem producere, sed formam substantialem, non potest materia

per simplicem emanationem producere. Ergo Major probatur Inductione, anima enim, quæ censetur à posteriori dependere à suis potentiis, habereque illas distinctas realiter, emanativè illas producit. Ignis si pendet à calore, à posteriori, emanativè illum producit; quia verò eadem anima à suis actibus non pendet à posteriori, nec ignis à calore in subiecto extraneo producendo, dependet à posteriori, ideo illum in extraneo subiecto, emanativè non producit. Eadem Major probatur, à priori. Omne ens virtutem habet, ad producendum, independentem ab alio comprincipio Creato, id à quo dependet à posteriori, & illud, sine quo naturaliter conservari nequit, quia si talem virtutem non haberet ens, sed indigeret alio comprincipio, hoc ipsò ad sui conservationem illud ens indigeret, eò quod neque est causa, neque effectus, neque terminus, neque subiectum, cuius illud ens sit modus, relatio, aut actus.

RESPONDETUR. Majorem cum sua inductione, veram esse, de entibus determinatè ab hoc determinato Ente pendentibus jam autem materia determinatè non exigit hanc formam substantialem. Ratio etiam adlata non convincit, quia non indigendo aliò, ad sui conservationem activè concurrente, casu, quò non nisi concursu creativo, sicut produci, ita & conservari indigeat, indigere potest principio, ut illi exhibeat conservationem creativam, nempe Deo, quod tamen non est numeratum in illis, quibus aliquid indigere potest, ad sui conservationem, & non est ratio, cur non numeretur. Dicit etiam posset, tunc dari vim emanandi, id, à quo aliquid dependet à posteriori, quando simul illo indiget ad operari, sicut anima indiget intellectu ad operari, non indiget autem Materia, Formâ, ad suum operari, quod est v. g. emanare quantitatem.

OBJICIT Tertiò idem. Potest materia amittere dispositiones sufficientes ad formam, v. g. ligni, & nondum habere dispositiones sufficientes ad formam aliam. Ergo tunc existet, & quidem naturaliter, sine forma. Antecedens probatur. Amittat enim lignum v. g. gradus frigiditatis quatuor, qui sunt requisiti ad formam ligni, jam non habebit formam ligni; & acquirat idem lignum, gradus quatuor caloris, qui etiam necdum sunt sufficientes, ad formam ignis, tunc lignum non habebit formam ignis. Hoc idem aliter proponit. Supponitque quod generatio viventis requirat determinatam quantitatem materiæ, ad hoc ut inducatur forma, & hoc quantum vocatur minimum materiæ, de hoc minimo, ita discurret: Minimum hoc, per partes disponitur, ita ut pars propinquior prius recipiat dispositiones ultimas formæ debitas, posteriùs autem eas recipiat; pars remotior, rursus, quando jam pars propinquior, est cum toto temperamento qualitatibus requisitarum, ad formam viventis, v. g. hominis, tunc adhuc

adhuc pars remotior, non habet hoc temperamentum, adeoque nec formam hominis, neque etiam habet formam embrionis, quia illam amittit per dispositiones ad formam hominis requisitas. Ergo pars illa remotior, nullam harum formarum habebit.

RESPONDET ipsemet Oviedo. Quodd scilicet forma, non dependeat à dispositionibus, ita ut naturaliter conservanda sit, cum unione ad materiam, etiam si dispositionem omnem, ex vi cuius fuit introducta, amittat. Ex alio principio dici potest, quodd ultima dispositio præcedentis formæ, nunquam amittatur, nisi posita ultimâ dispositione, ad aliam formam substantialem, licet non semper illa sit nobis nota, in tanta varietate formarum substantialium, adeoque fieri posse ut sublatis dispositionibus, ad formam ligni, non succedat forma ignis, eod quodd non habeat tantum calorem, quantum requirit, succedat autem alia forma substantialis, quæ requirit minorem calorem, majorem tamen quàm alia forma.

DICENDUM est Tertiò. *Materiam divinitus posse existere sine omni forma.*

PROBATUR primò. Quia id non implicat contradictionem.

PROBATUR secundò ex principiis Thomistarum. Tum quia existentia, est quidd distinctum realiter à formâ, nec est ratio, cur conjungi non possit, cum sola materia. Tum quia per illos, existentia humanitatis Christi, potest suppleri ab existentia Verbi, supernaturaliter. Ergo, & existentia materiæ, cum forma, poterit suppleri. Tum quia aliqui ex illis docent, posse essentiam conservari in rerum natura, sine existentia. Ergo & essentia materiæ, poterit conservari sine existentia, quam per illos, habet à forma. *Neque valet si dicas, si materia haberet existentiam sine forma, hoc ipso haberet formam, quia omnis actus, est forma, nego enim, actum, qui est existentia, esse formam Physicam de qua hic; licet actus compositi substantialis constitutivus, sit forma, unde etiam Thomistæ ponunt in composito formam, & ejus existentiam, nec tamen dicunt, unum compositum, habere duas formas substantiales.*

PROBAT tertiò Suarez. Potest existere forma materialis, divinitus, sine omni materia. Ergo & materia, sine omni forma. Utraque propositio, probatur; quia utrumque horum, sine alio, potest habere esse suum, extra causas.

PROB. quartò. Possunt divinitus in Eucharistia, existere accidentia, sine omni subiecto. Ergo & materia, poterit existere sine omni forma.

PROBAT quintò Hurtadus. Materiam existere, non est primarius effectus formæ, sed secundarius: Ergo si ponatur materia, existens per aliam existentiam; nulla erit contradictio. Antecedens probatur. Quia si formæ effectus formalis primarius, esset existentia materiæ, sequeretur impossibile esse, ut existat forma, quin exi-

stat forma, quin existat materia, impossibile est enim, esse formam, sine effectu suo formali. Quando autem dicunt Thomistæ, quodd tunc esset materia, in actu, sine actu: non convincunt; haberet enim tunc, non nisi actum existendi, consequenter, non esset in actu, sine actu.

OBJICIUNT 1. Thomistæ. Impossibile est existere, sine existentia; sed si materia posset existere, sine omni forma, existeret sine existentia. Ergo.

RESPONDETUR. Imprimis existentiam non distinguere ab essentia, sed hoc etiam negato, cur posset existere Materia, existentia aliqua supernaturali, & tamen non petibili à forma?

OBJICITUR 2. Implicat, aliquid esse à parte rei, & non esse in determinata specie, sed si materia esset sine omni forma, esset à parte rei, & non esset, in determinata specie. Ergo.

RESPONDETUR. Posse aliquid esse, & non esse in determinata specie Physica, licet non possit carere, specie sua Metaphysica, seu connectione determinata prædicatorum, differentiaque illius intrinsecè constitutiva.

OBJICIUNTUR 3. Implicat habere esse accidentale, & non habere illud à forma accidentali. Ergo etiam implicat esse substantiale habere, & non habere illud à forma substantiali, haberetur autem, si existeret materia sine omni forma.

RESPONDETUR. Esse substantiale duplex cogitari potest, primo esse substantiale Physicè compositum, & hoc repugnat habere, nisi à forma substantiali physica. Secundo aliud est esse substantiale Physicum, quidem sed non compositum Physicè, & hoc non repugnat habere, sine forma superaddita, cum sit identificatum ipsi entitati rei, condistincta ab accidenti, se sola, hocque haberi potest, sine omni forma superaddita, utpote quod petit identificari, ut identificatur in Angelis, cum tamen accidens, nulli entis per se, petat identificari, imò petit non identificari; quia illud ens, & esset per se ut supponitur, & non per se, utpote, idem cum accidenti.

INSTABIS. Totum esse artificiatum, est à forma artificata. Ergo & totum substantiale, à forma substantiali.

RESPONDETUR. Negando consequentiam: Quia ratio artificiati ante formam introductam, non habet in quid referatur, jam autem, ratio substantialis, incompleti, in materia, potest in aliquid referri, nempe, in esse illius incompletum, & certè materia prout condistincta formæ, non est accidens. Ergo prout condistincta formæ est aliquid substantiale.

OBJICITUR quartò. Materia magis dependet à formis substantialibus, quàm ab accidentalibus, sed non potest etiam divinitus spoliari materia, omni forma accidentali. Ergo nec substantiali.

RESPONDETUR. Magis pendere materiam, à formis substantialibus, hoc sensu, quia nobilio-
ra prædicata ab illis accipit; sed magis ne quoad
†g 3 dici

dici ad convertentiam? Si sint accidentia Logica, magis cum illis convertetur, utpote sibi identificatis, cum tamen formæ substantiales, non identificentur materiæ; si autem sint accidentia Physica, æque sine illis, poterit existere forma, ut sine formis substantialibus.

Obijciunt Quinto. Causalitas causæ formalis, etiam à Deo, est insupplebilis; sed forma dicit causalitatem in materiam. Ergo hanc causalitatem Deus supplere non potest. Ergo nec materia existere sine forma poterit.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, causalitas causæ materialis à Deo est insupplebilis, sed materia, dicit causalitatem, in formam. Ergo illam Deus supplere non poterit, adeoque forma, divinitus etiam sine materia, existere non poterit, cum tamen de facto formæ accidentales existant, in Eucharistia, sine subiecto. Quod si dicas, suppleri illic causalitatem, causæ materialis, in genere causæ efficientis, dante scilicet, concursu consimilem conservativum Deo, qualem exhibuisset, in præsentia subiecti materialis, idem in præsentia etiam dici poterit.

INSTABIS. Etiam divinitus non potest esse albu, sine albedine. Ergo nec materia, sine forma.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Quia esse album, est effectus formalis primarius albedinis, vix ab ea in subiecto apto posita, ratione distinctus, consequenter, si habetur alicubi, album esse, habetur albedo. Esse autem materiæ, non est effectus formalis primarius formæ, hinc bene poterit dari, ut existat materia, sine forma substantiali.

INSTABIS. Etiam divinitus, non potest existere compositum hoc, quale datur à parte rei, sine formâ. Ergo etiam nec divinitus existere poterit materia, sine forma.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: Quia esse compositi, non habet entitatem distinctam à materia & formâ, hoc ipso ergo; quia non esset entitas formæ, non esset compositum, entitas autem materiæ non est entitas formæ, sed quid realiter ab illa distinctum, consequenter poni poterit entitas Materiæ, & non poni entitas formæ.

Casu autem, quò materia existeret divinitus, sine omni formâ substantiali concursus, ad ita existendum exhibitus, esset concursus in entitate naturalis, supernaturalis quoad modum. Quia tunc est concursus supernaturalis, quoad substantiam; quando vel producitur effectus, excedens, vel quando suppletur concursus, seu causalitas alicujus causæ; Concursus autem supernaturalis, quoad modum est quem exhibet Deus, in his circumstantiis indebitis, exhibetq; illum, tanquam auctor miraculorum, non supplendo tamen ullam causalitatem; & quia, etiam in præsentia, nullam causalitatem supplet Deus, cum forma, non causet materiam, fit ut hic concursus sit supernaturalis, non nisi quoad modum.

DE potentia, absolute & radicaliter spectatâ, egimus supra, ubi de primo essentiali conceptu Materiæ nunc agitur, de potentiâ relative spectatâ. Porro pervulgatum est, materiâ, vocari puram potentiam, sed in quònam sensu, controversum est. Thomistæ enim aliqui, omnem illi actum negant, sed cum Nominalibus, & Nostri, Scotistæ tribuunt, ut hoc intelligatur.

PRÆMITTO Primo ex Hurtado Disp. 2. Phys. Sect. 2. *Potentiam aliam esse objectivam, aliam activam, aliam passivam.* Potentia objectiva, sive Logica, est mera & sola non repugnantia rei ad essendum, & hæc potentia competit Entibus nondum existentibus, ei; oppositur actus existentia. Materia à parte rei posita, quòd non sit potentia Logica, probatum, ubi de ejus propria existentia. Potentia activa est vis productiva, alicujus effectus, qualis potentia, est in igne, ad comburendum, an materiæ conveniat aliquid producere? infra agetur. Potentia passiva est subiectum receptivum formarum, & in isto sensu, materia, potest dici pura potentia, ei enim convenit recipere formam, & non recipi in alio subiecto. Cæterum non ita est potentia, ut excludat omnem actum, quod ut intelligatur,

PRÆMITTO Secundo ex Suar. Disp. 13. Metaphys. Sect. 7. n. 7. *Actum interdum sumi absolute, interdum respectively.* Respectively sumitur, cum sumitur per ordinem ad aliud, ut cum dico, formâ esse actum materiæ, absolute sumitur actus, quando sumitur aliquid, pro eo, quod in se est actuale quid, quantumvis nihil actuet, & ita Deus dicitur actus, quamvis Deus nullius entis sit formâ. Rursus, uterque hic actus, alius est Physicus, alius Metaphysicus. Physicus actus est v.g. formâ, Metaphysicus autem actus est multiplex, aut enim est actus existentia, & vocatur differentia, aut actus existentia, & vocatur existentia, aut actus entis per se, & vocatur substantia. Specialiter actus absolutus, alius est completus, alius incompletus, actus absolute completus est, qui in genere entis vel substantia, ita est completus, ut nec constituatur per actum physicum, à se distinctu, neque illo indigeat, & talis est v.g. Angelus. Alius est actus absolutus incompletus, & est entis illud, quod habet actualitatem aliquam, in quantum est extra nihil, sed ita, ut tamen ordinetur ad aliud. Isti ergo, qui tribuunt materiæ aliquam actualitatem, tribuunt ei actualitatem Metaphysicam incompletam, eo quòd etiam illa ordinetur ad formam, quando autem dicitur, materia esse actus absolutus, ly absolutum non supponit pro radicali, sed supponit pro absoluto, prout condistinguitur ab actu, qui ad aliud actum ordinatur.